

Tunc uenit ihesus a galilea in iordanem.

Cum seruis dominator, cum obnoxiiis iudex, uenit baptizandus. Sed ne tumultueris. In humilibus enim his, maxime fulget eius sublimitas. Qui enim conceptum se ferri tanto tempore in matrice uirginali dignatus est, et procedere inde cum nostra natura, et alapis cedi, et crucifigi. Et alia pati quae passus est, quid miraris si et baptizari dignatus est, et cum aliis uenire ad seruum? Quod stupefaciebat enim illud erat? deum existentem uelle fieri hominem. Propterea et iohannes preassumens dixit illa quae dixit, quoniam non est dignus soluere corrigiam calciamenti, et alia omnia, puta quia iudex est, et secundum dignitatem reddet unicuique, et spiritus tribuet copiositatem uniuersis, ut cum uideris ipsum ad baptismum uenientem, nichil humile suspiceris. Ideoque et presentem ipsum prohibet dicens. Ego necesse habeo a te baptizari, et tu uenis ad me? Quoniam enim baptismus penitentiae erat, et in accusationem delictorum inducebat, ut non aliquis estimet quoniam et ipse cum tali consilio ad iordanem uenit, prius id emendat indicendo agnum, et redemptorem uniuersi quod secundum orbem terrarum est peccati. Qui enim peccata omnis generis hominum potest dissoluere, multo magis ipse sine peccato erat. Propterea non dixit ecce qui sine peccato est, sed quod multo amplius erat qui leuat peccatum mundi. Vt ab hoc et illud cum omni suscipias certitudine, et suscipiens uideas, quoniam alia quedam dispensans, ad baptismum uenit. Ideoque uenienti ei dixit. Ego necesse habeo a te baptizari, et tu uenis ad me? Non dixit et tu baptizaris a me. Etenim et hoc debuit dicere, sed quid? et tu uenis ad me? Quid igitur christus? quod et in petro fecit postea, hoc et tunc fecit. Etenim ille prohibebat eum lauare pedes. Sed quoniam audium quod facio nunc tu nescis, cognosces autem postea, et quia non habes partem mecum uelociter destitit a contentione, et ad contrarium transiit. Et hic similiter rursus audiens, dimitte modo, ita enim decens est nobis implere omnem iusticiam, confestim obediuit. Non enim erant immoderate litigatores, sed et amorem demonstrabant et obedientiam, et secundum omnia persuaderi meditabantur a dominatore. Intende autem qualiter hinc ipsum inducit a quibus maxime suspicabantur quod fiebat. Neque enim dixit ita iustum est, sed ita decens est. Quoniam enim indignum ei maxime esse estimabat hoc a seruo baptizari, hoc maxime posuit quod ab illo distinguit. Ac si diceret, nonne ut indecens hoc fugis et prohibes? Propter hoc igitur hoc dimitte, quoniam et maxime decens est. Non simpliciter dixit dimitte, sed modo apposuit. Non enim continue haec erunt ait, sed uidebis me in his quae desideras, modo denique sustine hoc. Deinde et monstrat, qualiter hoc decens. Qualiter igitur decens est? Quoniam legem implemus uniuersam. Quod denique manifestans dixit, omnem iusticiam. Iusticia enim est, mandatorum expletio. Quoniam igitur omnia alia perfecimus ait, hoc autem derelictum est solum, oportet apponere et hoc. Etenim ueni soluere maledictionem, iacentem in legis transgressionem. Oportet igitur primum, me ipsam omnem complementem, et eruentem uos a condemnatione, ita ipsam requiescere facere. Decens igitur est michi complere legem uniuersam, quoniam et decens est soluere maledictionem aduersum uos in lege scriptam. Propter hoc enim et carnem assumpsi et ueni. Tunc dimittit eum. Et baptizatus ihesus, confestim ascendit ab aqua, et ecce aperti sunt ei caeli, et uidit spiritum dei descendentem sicut columbam, et uenientem super ipsum. Quoniam enim multo maiorem eo iohannem esse estimabant, quia hic

Commented [ND1]: [fol.38va]

Commented [ND2]: uel preueniens add. super lin.

Commented [ND3]: uel opus add. super lin.

Commented [ND4]: [fol.38vb]

quidem in heremo nutritus erat omni tempore, et filius principis sacerdotum erat, et stola talis circumiacebat, et omnes ad baptismum uocabat, et a sterili natus erat, ihesus autem et a uili pupilla erat, uirginitatis enim partus nondum omnibus manifestus erat, et quia in domo nutritus erat, et cum omnibus conuersabatur, et commune hoc indumentum ei circumiacebat, minorem ipso esse suspicabantur, nichil nondum ineffabilium illorum noscentes. Contingit autem et baptizari ipsum a iohanne, quod magis hanc certificabat suspicionem, etsi nichil priorum esset, excogitabant enim quoniam hic quidem multorum unus. Neque enim si non multorum unus esset, non utique cum multis ad baptismum uenisset. Ille autem maior eo et multo mirabilior. Vt igitur non haec opinio apud multos existat, et caeli aperiuntur baptizato eo, et spiritus descendit, et uox cum spiritu predicans unigeniti dignitatem. Quoniam enim uox dicens, hic est filius meus dilectus, multis magis conuenire uidebatur iohanni, non enim apposuit hic qui baptizatur sed simpliciter hic, et auditorum quisque de baptizante magis quam de baptizato dictam esse eam estimabat, et propter baptiste dignitatem, et propter uniuersa quae dicta sunt uenit spiritus in specie columbae, uocem trahens super ihesum, et omnibus manifestum faciens, quoniam hic non de iohanne baptizante, sed de ihesu baptizato dictum est. Et qualiter ait non crediderunt cum haec fierent? Quoniam et in moyse multa facta sunt signa, etsi non talia. Et post omnia illa et uoces et bucinas, et coruscationes, et uitulum, et behelphigor perfecerunt. Et hii ipsi autem qui tunc erant et lazarum resurgentem uidentes, tantum rennuebant credere ei qui haec operatus est, quod et ipsum interficere temptauerint multociens. Si itaque ante oculos uidentes mortuorum resurrectionem ita erant perniciosi, quid miraris si uocem non susceperunt delatam desuper? Quando enim amens fuerit anima et peruersa, et ab emulationis egritudine possessa, nulli horum cedit. Quemadmodum cum bonae mentis fuerit, cum fide omnia suscipit, et his non ualde indiget, Neque itaque hoc dicas quoniam non crediderunt, sed illud quere si non omnia facta sunt, a quibus eos credere oporteret. Etenim per prophetam pro omnibus his quae aduersus seipsos erant, hunc componit excusationis modum deus. Quoniam enim perire debebant iudei et ultimo tradi supplicio, ut non aliquis ab illorum nequitia eius detrahat prouidentiae, ait. Quoniam quid me oportebat facere uineae huic et non feci? Hoc utique et hic intende. Quid oportebat fieri et non factum est? Etsi quando autem sermones fuerint de dei prouidentia, hoc modo excusationis utaris ad eos qui a multorum malicia detrahere ei temptant. Vide itaque qualia paradoxa efficiuntur, et futurorum proemia. Non amplius enim paradysus sed caelum aperitur. Sed sermo qui est ad iudeos, in aliud tempus a nobis differatur. Nunc autem deo cooperante nobis, ad preiacentia sermonem ducamus. Et baptizatus ihesus confestim ascende ab aqua, et ecce aperti sunt caeli. Cur aperti sunt caeli? ut discas quoniam et te baptizato hoc fit. Ad superiorem patriam deo te uocante, et suadente nichil commune habere, ad terram. Si autem non iudes non incredulus sis. Etenim in proemiis semper inopinabilium et spiritualium rerum, sensibiles apparent uisiones et signa talia, sine intellectu dispositis et indigentibus uisione sensibili, et nullam intelligentiam incorporalis naturae suscipere potentibus. Ad uisibilia autem solum reptantibus, ut etsi postea non efficiuntur haec, quae ex ipsis demonstrata sunt semel et in principio, recipiat fide. Etenim et in apostolis sonitus factus est spiritus uiolenti, et uisiones unguarum ignearum apparuerunt. Sed non propter apostolos, sed propter presentes tunc iudeos. Sed tamen etsi non sensibilia efficiuntur nunc signa, quae ex ipsis manifestata sunt, semel recipimus. Quoniam et columba quandoque propter hoc apparuit, ut uelud pro digito quodam, monstret presentibus et iohannem et filium dei. Non solum autem propter hoc, sed ut et tu discas, quoniam et in te si baptizaris, spiritus uenit. Iam autem nobis sensibilis uisionis non est necessitas, fide pro omnibus sufficiente. Signa enim non credentibus sunt sed incredulis. Propter quid autem in specie columbe? Mansuetum est animal et pium. Quoniam igitur et spiritus mansuetudinis est spiritus,

Commented [ND5]: [fol.39ra]

Commented [ND6]: aliorum erat add. super lin.

Commented [ND7]: malitiosi add. super lin.

Commented [ND8]: [fol.39rb]

Commented [ND9]: uel quare add. super lin.

Commented [ND10]: ex add. super lin.

Commented [ND11]: efficitur add. super lin.

Commented [ND12]: nunc signa add. super lin.

Commented [ND13]: principiis add. super lin.

Commented [ND14]: [fol.39va]

propterea et in hac specie apparet. Sed et aliter ueteris commemorat hystoriae. Etenim naufragio quandoque communi uniuersum orbem terrarum assumente, et genere nostro periclitante destrui, hoc apparuit animal, et solutionem calamitatis monstrauit, et ramum ferens oliuae, communem orbis terrarum tranquillitatem aeuangelizauit. Quae omnia typus futurorum erant. Etenim multo deterius quae hominum erant disposita erant, et multum maiori supplicio digni erant. Vt igitur non desperes, commemorat te hystoriae illius. Etenim tunc rebus in desperatione existentibus, facta est solutio quedam et directio. Sed tunc per penam, nunc autem per gratiam ineffabilem et donationem. Propter hoc et columba apparet. Non ramum oliuae ferens, sed omnium malorum liberatorem nobis monstrans, et spem benignam substituens. Neque enim ab archa unum hominem educit, sed uniuersorum orbem terrarum in caelum reducit apprensus. Et pro ramo oliuae, adoptionem communi orbis terrarum generi affert. Intelligens igitur magnitudinem donationis, neque minorem eius dignitatem estimates esse, quia in tali apparuit uisu. Etenim audio quosdam dicentes, quoniam quantum medium est hominis et columbae, tanta christi et spiritus est minoratio. Quoniam hic quidem in nostra natura, ille autem in uisu columbae apparuit. Quid igitur ad haec est dicere? quoniam filius quidem dei naturam hominis assumpsit, spiritus autem non naturam columbae assumpsit. Ideoque aeuangelista non dixit, quoniam in natura columbae, sed quoniam in specia columbae. Qua propter neque postea in hac figura uisus est, sed tunc solum. Si autem propter hoc minorem eius dignitatem ais esse, inuenientur et cherubim secundum rationem hanc, multo meliora, et tantum quantum aquila est melior columba. Etenim et illa in hunc formata sunt uisum. Et angeli autem meliores rursus erunt. Etenim in figura hominum multociens apparuerunt. Sed non sunt uera haec. Etenim aliud est dispensationis ueritas, et uisus temporanei condescensio. Ne igitur ingratus fias circa benefactorem, neque contrariis remunerare donantem tibi fontem beatitudinis. Vbi enim est adoptionis dignitas, illic et malorum est destructio, et bonorum uniuersorum datio. Propterea utique iudaicum quidem baptisma quiescit, nostrum autem initium accipit. Et quod in pascha factum est, hoc et in baptisate contingit. Etenim et illic utraque transmutans, hoc quidem quiescere fecit, huic autem principium dedit. Et hic complens iudaicum simul, et ei quod est aecclesiae ianuas aperuit. Quemadmodum in una mensa tunc, ita et in uno flumine nunc, et umbram subscribens, et ueritatem preponens. Spiritus enim gratiam, hoc baptisma solum habet, quod autem est iohannis hoc munere est desolatum. Propterea utique in aliis quidem qui baptizabantur, nichil tale contigit, in hoc autem solo qui traditurus erat hoc, ut cum his quae dicta sunt et haec discas, quod non uirtus baptizantis sed uirtus eius qui baptizabatur, hoc fecit. Tunc itaque et caeli aperti sunt, et spiritus superuenit. A ueteri enim iam ad nouam urbanitatem hos educit, et portas nobis superiores aperiens et spiritum inde mittens, ad eam quae illic est patriam uocantem. Et non simpliciter uocantem, sed et cum dignitate maxima. Non enim angelos et archangelos nos fecit, sed filios dei construens et dilectos, ita nos attrahit ad illam requiem.

Haec igitur excogitans uniuersa, et amore eius qui uocat, et urbanitate illa quae illic est, et honore dato dignam demonstra uitam, mundo crucifixus et crucifigens ipsum teipso, celorum uiue uitam, cum diligentia uniuersa. Neque quoniam corpus tuum nondum translatum est ad caelum, estimates habere quid commune ad terram. Caput enim superius sedens habes. Et propter hoc autem prius hic adueniens dominator, et angelos ducens tunc te assumens abiit illuc, ut et ante ascensum illum qui illic est discas, quoniam possibile tibi est terram ut caelum habitare. Veniamus itaque nobilitatem obseruantes quam suscepimus a principio, et palacia quae illic sunt per singulos dies inquiramus, et omnia quae hic sunt umbram et somnium esse estimemus. Neque enim si rex aliquis terrestris inopem te existentem et mendicantem accipiens filium repente fecisset,

Commented [ND15]: [fol.39vb]

Commented [ND16]: uel ad tempus *add. super lin.*

Commented [ND17]: id est nostro pasche *add. super lin.*

Commented [ND18]: id est initium *add. super lin.*

Commented [ND19]: priuatum *add. super lin.*

Commented [ND20]: [fol.40ra]

Commented [ND21]: Morale duodecimum, quod christianus non demonstrans obtinam urbanitatem, amplius punitur. *notum in marg.*

Commented [ND22]: postea corpus humanum *add. super lin.*

tugurium et uilitatem tugurii tui utique reputares. Quamuis non multum medium est illic. Neque itaque hic estima aliquid priorum. Etenim in multo maioribus uocatus es. Cum enim qui uocat angelorum est dominus, bona autem quae dantur et rationem et mentem superexcedunt omnem. Non enim a terra in terram te transfert, quemadmodum rex, sed a terra in caelum, et a natura mortali in inmortalem, et gloriam ineffabilem, tunc potentem solum bene apparere cum eam acceperimus. Talibus itaque participaturus bonis, pecuniarum meministi, et imaginem quae hic est curas, et non estimas uniuersa quae uidentur, mendicantis ciliciis uiliora esse? Et qualiter dignus hoc apparebis honore, quam autem habebis excusationem dicere, magis autem quam non dabis uindictam, post tantum donum ad primum uomitum currens? Non enim amplius ut homo simpliciter sed ut filius dei, peccans plecteris. Et fit tibi honoris magnitudo, iter maioris supplicii. Non similiter seruos peccantes, et filios idem delinquentes punimus, et maxime cum magna a nobis beneficia habuerint. Si enim qui paradiso fortunatus erat propter unam inobedientiam tot post honorem sustinuit mala, nos qui celum assumpsimus, et unigenito facti sumus coheredes, quam habebimus ueniam ad serpentem post columbam currentes? Non amplius enim terra es et in terram abibis, et operaberis terram, et priora illa audiemus, sed quae multo his sunt difficiliora, tenebras exteriores, uincula indissolubilia, uermem eruginem, stridorem dentium, et ualde decenter. Qui enim neque in tanto beneficio factus est melior, iuste utique ultimam et difficiliorem dabit uindictam. Aperuit quandoque et clausit caelum helias, sed ut pluuiam subducatur iterum stringat. Tibi autem non ita aperitur caelum, sed ut ascendas illuc. Et quod utique maius est, non ut ascendas, sed ut et alios adducas si uolueris. Tantam tibi audaciam et potestatem, in omnibus suis dedit. Quoniam igitur illic nostra est patria, illic omnia recondamus, et nichil hic derelinquamus ut non perdamus. Hic enim etsi clauim imposueris, etsi ianuas et uectes, et decem milia institueris famulos, et omnibus persisteris maliciosis, et emulorum effugeris oculos, etsi timeas, etsi eam quae a tempore efficitur perdicionem quod est impossibile, mortem tamen numquam effugies. Sed auferentur uniuersa illa in uno temporis momento. Et non auferentur solum, sed et in inimicorum multociens manus dimittes. Si autem in illam dimittes patriam, omnibus superior eris. Neque enim clauim, neque ianuas et uectes imponere oportet. Talis ciuitatis illius uirtus. Ita a furibus aggressum pati regio illa non potest, et corruptioni et malicie omni inaccessibilis haec existit. Qualiter igitur non ultime amencie est ubi quidem pereunt et corrumpuntur quae reconduntur coaceruare uniuersa, ubi autem intacta manent et ampliora fiunt, hic neque minimam recondere particulam? Et haec facimus cum illic uniuerso uicturi sumus tempore. Propter hoc et greci non credunt his quae a nobis dicuntur. Ex quibus enim operamur non ex quibus dicimus, demonstrationem nostram accipere uolunt. Et cum uiderint domos preclaras fabricatas, et paradysos id est ortos constructos, et balnea et agros emptos, nolunt credere quod ad alterius preparati sumus ciuitatis abscissionem. Si enim hoc esset ait, omnia quae hic sunt uendentes, illic preconderent, et hoc ab his quae hic fiunt conuiciunt. Etenim uidemus ualde diuites in illis maxime ciuitatibus, et domos, et agros, et alia omnia possidentes, in quibus moraturi sunt sed nos contrarium facimus. Et terram quidem quam parum postea dimissuri sumus, cum multo possidemus studio. Non pecunias solum sed, et sanguinem ipsum effundentes, pro glebis et habitationibus paucis. Pro emendo autem celum neque superflua necessitatis sustinemus dare et haec facimus, cum id paucis debeamus emere precio, et semper habere, si id tamen emerimus. Propterea ultimam dabimus uindictam, nudi et inopes abeuntes illuc. Magis autem non pro sola nostra pauperie sed et propterea quia alios facimus, intolerabiles sustinebimus iacturas. Cum enim uiderint greci circa haec studentes qui tot acceperunt mysteria multo magis ipsi presencia adipiscuntur, et multum et hinc super nostrum caput coaceruantes ignem. Cum enim nos qui docere eos deberemus, uniuersa apparencia

Commented [ND23]: [fol.40rb]

Commented [ND24]: seranpelmis add. super lin.

Commented [CN25]: poteris add. super lin.

Commented [ND26]: additamentum add. super lin.

Commented [ND27]: [fol.40va]

Commented [ND28]: eosque sunt add. super lin.

contempnere, ipsi maxime omnium eos in horum immiserimus **concupiscenciam**, quando poterimus saluari, aliorum perdicionis noxias sustinentes? Non audis christum dicentem quoniam pro sale et lampade dimisit nos esse in mundo hoc ut eos et qui fluunt ad lasciua constringamus, et eos qui sollicitudine pecuniarum obtenebrantur illuminemus? Cum igitur et in tenebras eos immittimus ampliores, et remissores facimus, que erit nobis spes salutis? Non est ulla, sed lugentes, et dentibus frendentes, et ligatis manibus et pedibus in gehenne deuenimus ignem. Postquam bene conditi erimus, in diuiciarum sollicitudinibus. Haec igitur omnia excogitantes, uincula soluamus talis deceptionis, ut neque in illa incidamus quae tradunt nos igni inextinguibili. Qui enim pecuniis seruit, et his quae hic sunt catenis, et his quae illic perpetuo erit obnoxius. Qui autem ab hac fuerit erutus concupiscencia, alterutra potietur libertate. Qua ut et nos fruamur difficile dileccionis pecuniarum conterentes iugum, eleuemus nosmetipsos ad celum. Gratia et misericordia domini nostri ihesu christi, cui gloria et imperium nunc et semper et in secula seculorum amen.

Commented [ND29]: [fol.40vb]